

www.e-rara.ch

In Sacrosanctum Daudis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, Anno M.D.LXIII. [1563]

Universitätsbibliothek Bern

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-110981>

Psalmus LXXI.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

terra, & in aëre, hoc nomine, quod Deus populum Zionis & Ierusalem, id est, credentes conseruat, & regnum Christi ædificat, in quo ciues illius perpetua hereditate omnium felicissime habitabunt. Et hic sensus miraculum nobis proponit omnium stupendissimum, quod uidelicet miser credentes mundi huius peripsima, & oues occisionis paratam habent certam & inconcussam cœlestis regni habitationem. Sed o bone Deus, quotusquisque est qui seruiat tibi, nomenque tuum diligat, ut felicitatis regni tui, quam hic commédât Propheta, particeps esse possit? Oremus ergo Dominum, postquam nostro seculo uterque status cum regni Christi, tum externus ille & unicus adficiatur, ut cœlestis ille saluator & ædicator regnorum cursum regni Christi cum primis, deinde & publicam tranquillitatem tutetur & conseruet.

P S A L M V S L X X

PRAECENTORI DAVIDIS AD MEMORANDUM.

- D**eus ad liberandum me, Domine ad adiuuandum me festina.
 Confundantur & pudefiant: qui quærunt animam meam, auertantur retrorsum & ignominia afficiantur, qui malè mihi uolunt.
 Auertantur propter confusionem suam, qui dicunt, euge euge.
 Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant: Semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutem tuam.
 Et ego afflictus sum & pauper, Deus propera ad me, adiutor meus & liberator meus es tu, Deus meus ne moreris.

- LECTIO. Deus ad liberandum me.) Græc. & uulg. Lat. legunt, Deus in adiutorium meum intende.
 Vers. 1. Et pudefiant.) Vulgata Latina, Et reuereantur.
 Vers. 2. Auertantur propter confusionem suam.) Ebr. אָוֵרְתוּ עַל עֵקֶב בִּשְׂתָם. Græca & uulgata Latina, Auertantur statim erubescerent. Illud statim non est in Ebræo. Hieron. Reuertantur ad uestigium confusionis suæ. Pagn. Conuertentur propter mercedem pudoris sui.
 Vers. 5. Deus propera ad me.) Ebr. אֵלֵּי מִיָּדָי, id est, Festina mihi. Græcus & uulg. Lat. Adiuua me. Hieron. Festina pro me.

Argumentum psalmi.

Psalmus hic totus precatorius est. Et licet uideatur precationem habere hominis priuati, reuera tamen re-
 cte intuenti satis apparet referre æstum hominis non priuati: id est, non priuatam, sed publicam causam sustinentis, illiusque nomine propter maliciam impiorum periclitantis. Atque ob eam causam quæcumque hic precatur Propheta, non tam se, quam populum Dei concernunt. Imò ardentè affectat gloriam Dei, quam uidebat persundari, si ipse à Deo deseratur. Non luctatur proprie gloriæ gratia, sed ut nomen Dei ab iniuria uindictæ, confusionem imprecatur hostibus, & gaudium pijs, Deum quærentibus. Hæc duo uelut fontes sunt huius psalmi, qui ferè ad uerbum in fine quadragesimi habetur. Videmus eum quotidie uersari à sacrificulis & monachis, à quibus in horis, quas uocant Canonicas, auspicandi gratia reliquis præmittitur. Sed utinam ex ipsorum fontibus apud eos scaturirent hæc uerba, unde apud Prophetam profluxerunt.

Expositio psalmi huius satis est aperta, & ut dixi, supra psalmo 40. uersibus quinque postremis posita, ubi etiam quæ notanda uidentur, obiter sunt annotata.

P S A L M V S L X X I

- I**n te Domine spem posui, ne confundar in æternum.
 In iusticia tua libera me, & eripe me: inclina ad me aurem tuam, & salua me.
 Esto mihi in rupem fortitudinis, ad quam semper confugiam: manda ad saluandum me, quoniam petra mea & munitio mea es tu.
 Deus meus eripe me de manu impij, de manu iniquè agentis & uolenti.
 Quoniam tu es expectatio mea Domine, Domine spes mea à iuuentute mea.
 Super te innixus sum ex utero, de uentre matris meæ tu me extraxisti, in te laus mea semper.

- LECTIO. In rupem fortitudinis.) Ebr. צִיָּר בְּרֵעִי. Græc. & uulg. Lat. In Deum protectorem. Hieron. Robustum habitaculum. Sic & Iustin. & Pagninus.
 Vers. 3. Ad quam semper confugiam.) Ebr. לְבֵיָא תְּמִיד. Græc. & uulg. Lat. Et in locum munitum. Hieron. Ut ingrediar iugiter. Sic & Felix & Pagninus.
 Manda ad saluandum me.) Ebr. צִוֵּה לְהַצִּיעָי. Græc. & uulg. Lat. Vt saluum me facias. Hieron. Præcepisti ut saluares me.

A De manu iniquę agentis & uolenti. Ebr. מַכּוֹת מִיַּד רָחוּקָה. uulg. Lat. De manu contra legem agentis & iniqui. Hieron. De manu iniqui & nocentis. Pagn. E' manu peruerterentis & opprimentis. Iustin. De manu iniqui & uim inferentis.

Super te innixus sum. Ebr. עָלֶיךָ בִּסְמוֹכִי. Græc. & uulg. Lat. In te confirmatus sum. Hieron. A' te sustentatus sum.

Tume extraxisti. Ebr. גָּרַחְתָּ מִמֶּנִּי. id est, Tu es extractor meus. Græc. & uulg. Lat. Tu es protector meus. Pag. Tu eductor meus es. Felix, Tu extrahens me.

Argumentum psalmi.

Caret hic psalmus titulo, unde sunt qui putant cum superiori coniungendum. Precationem habet animi adflicti usque ad postremos tres uersus 22. 23. & 24. quibus ut assolet, uotum diuinę laudis accepto adiutorio Dei persoluendum facit. Orat autem ut liberetur & eripiat e manu hostium impiorum ac uolentorum, de quorum contra se malicia conqueritur in facie Dei. deinde & simul immiscet argumenta fiducię, quibus suffultus bona spe diuinum implorat auxilium. Sunt autem omnia clara quidem, ut non sit opus diligenti & accurata expositione: ita tamen affectibus fidei ac spei erga Deum ampla, opulenta & precipua, ut uerę beatus dici possit, si cui non uerba tantum Prophetę, sed spiritum & affectus pietate cordis assequi datum fuerit. Apparet autem psalmum hunc a Dauide iam etate grandi compositum, propter uers. 9. & 17. & 19. unde conijcitur, quod de ea adflictione eripi petat, quam a filio Absalom profugatus tulit.

In te Domine spem posui, ne confundar in æternum. Hic uersus duo habet, precationem, & precationis causam. Precatio est, quod dicit: Ne confundar in æternum. Causa precationis, quod pręmisit: In te Domine spem posui. Lectionis huius superficies alium uidetur offerre sensum, nempe hunc: In te Domine spem posui, ob id, ne unquam confundar: quasi Prophetę hac se dicat ratione spem suam in Deum collocasse, ne cōfunderetur unquam, ueluti expertus spes humanas esse incertas, fallaces, & confusione obnoxias. Verum intuenti Prophetę affectum, non aliud agitur, quàm ut dixi: primum petit ne confundatur, deinde causam petitionis cur hoc petat, pręmittit: uidelicet hanc, quod spem suam in Deum posuerit. Et hic mihi uidetur affectus non obiter transeundus, sed diligenter inspiciendus, nam non est aliunde qualiscunque æstimanda petitio, quàm ex ipsa causa. Expendamus igitur primum quidem in se quid sit quod petit, cum dicit: Ne confundar. Verum quid de hac petitione Prophetę sentiendum, & qualis illius fuerit affectus, ex pręmissa causa iudicemus, & iudicando mentibus nostris inculpamus.

Ne confundar. Habet hoc caro nostra peculiare, quod ægerimē sustinet confundi, ita ut rarissimus sit, qui uel in propria conscientia apud seipsum turpitudinis alicuius conuinci ac confundi, nedum conscijs ac iridentibus alijs mortalibus sustineat. Et hoc ingenium ex primorum parentum labe contraximus, unde habemus hoc uirij, quod uel ipsi de nobis pręclare sentimus, uel ab alijs sentiri cupimus. quę corruptela ita pectoribus nostris, imò intimis medullis penitus insecut, ut etiam qui nec intelligunt, nec sentiunt se proprię laudis cupiditate teneri, molestę tamen ferant, si confundantur & irrideantur. Quid est igitur quod Prophetę orat, Ne confundatur in æternum? cum alius prophetę dicat, Peccauimus, iniquitatem fecimus, impię egimus, &c. Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio faciei. Fatetur ille dignum esse se cum populo, qui confundantur: & hic noster confusione deprecatur, id quod mox psalmi initio. Ducitur ne carnis affectu, quo illa confusionem fugit? Certę qui eo modo legunt, quem ipsa, ut dixi, uerborum superficies obijcit, tale quid cogentur admittere. Est enim haud sincera spei causa, ob id spem ponere in Deum, ne confundaris, ne ruborem subire cogaris, ne irridearis. Itaque ne demus impurum hunc affectum Prophetę, quod pręmisit: In te Domine spem posui, tanquam precationis huius causa intelligendum est & considerandum.

In te Domine spem posui. Quasi dicat, Domine, ne sinas eos qui spem ponunt in te, ludibrio haberi, & cōfundi. Ego spem omnē in te posui, & tu omnino is Deus es, qui pro bonitate ac fide tua nequis deferere sperantes in te. Si passus fueris ut confundar, ut aduersarij triumphent, ut uidear frustra in te sperasse: certę ista confusio probro erit nomini tuo. Cum igitur notum sit, quod spem ac fiduciam in te collocarim, precor Domine, ne patiaris me confundi, & in mei confusione gloriam fidei ac ueritatis tuę obscurari. Hoc sensu pręmissa est ista particula, In te Domine spem posui: ut intelligamus Prophetam non tam sui ipsius, quàm diuini nominis horrere confusionem.

Discamus igitur hoc loco, magis curare quid nomini Dei in nobis accadat, quàm nostro, siue id fiat per nos agendo, siue in nobis patiēdo. Anxius est Prophetę, ne cōfundatur propter spem in Deum collocatam, cum tamen id non esset in ipsius potestate, nec cauere posset. Situm enim erat in ueritate, bonitate & potētia Dei, non ipsius uiribus & arbitrio, qui nec Deum cogere, nec reprobos maliciam extinguere poterat. Quid credendus est facturus fuisse, ne per se, hoc est sua ipsius culpa, committeretur quicquam quod nomini ac glorię Dei ignominiam adferret?

Verum necesse est, ut primum simus ex illis qui spem omnem collocant in Deum, deinde necesse est, ut hęc animi nostri pietas non sit nobis ipsis tantum, sed omnibus nobiscum conuersantibus etiam aduersarijs & inimicis nostris cognita: alioqui fieri non potest, ut hoc confusionis genus cum Prophetę timendum nobis sit, si nemini de nobis innotescat, quod speremus in Deum. Artis confusionem nemo subit, qui nullam illius opinionem inter mortales habuit. De nemine

Vers. 6.

Vers. 1.

PRECA-
TIO.

Dan. 9.

CAUSA.

Lucæ 4.

ægroto dicetur, Medice cura te ipsum, de quo nulla unquam medicæ artis opinio fuit. Ita de his
Psal. 22. non potest dici, Sperarunt in Deum, saluet eos, si uult eos, de quibus nunquam innotuit, quod
 spem aliquam in Deum posuerint. Est igitur ista sollicitudo eorum tantum, qui spem ponunt in
 Deum, in reliquos cadere non potest.

2 Secundo loco quærendum est, quid opus sit hac precatione, cum certum sit ex promissione
 Dei, quod Deus uelit liberare sperantes in se *Psal. 91.* Quoniam in me sperauit, liberabo eum,
 &c. Respondeo: Non repugnat fidei in hanc promissionem, deprecari istâ confusionem, sed ma-
 gis affectus est animi credentis isti promissioni. Metus uero quo laborauit Propheta, tentatio
 fuit, cui hac prece occurrere uoluit.

3 Tertio, quærendum & hoc, unde sit, quod ab impijs irridetur. qui cum in Deum sperarint, de-
 feri uidentur, cum tamen si quid turpe hic committitur, Deo magis deferenti, quam pio speranti
 ac deserto tribuendum uideatur. Ista est impietas filiorum huius seculi: ut stulticiæ deputent, spem
 ponere in Deum. Hinc est illa irrisio sperantium, ubi in afflictione iactantur. Deo non dant uitio,
 quod hos deferere uidetur, cum tamen nullo pacto magis blasphemant gloriam diuini nominis,
 quam hoc ipso, quod spem in Deo positam irrident.

Verf. 2. 3. 4. 5. Et hi quinque uersus duo habent: precationem & argumenta quædam suffulciendæ ac corro-
 borandæ fiduciæ, qua motus opem Dei implorat Propheta. Illa desumit partim ex Deo, partim
 ex inimicis suis, partim etiam ex seipso, ut suis locis uidebimus.

PRECATIO. Summa precationis est, ut liberetur, eripiat ac saluetur. Ostendit hac precatione, quando ti-
 menda sibi sit confusio illa quam uersu primo statim initio deprecatus est, nempe si deferatur in
 manibus hostium. Ideo postquâ dixit, Ne confundar: subiicit, Libera me, eripe me, inclina ad me
 aurem tuam, & salua me, &c. Certè qui ferio ad hunc modum ad Deum pro liberatione clamat,
 satis indicat, cum quibus sit irretitus angustijs ac periculis, tum qua sit erga Deum spe ac fiducia.

Versu 3. dicit, *Esto mihi in rupem fortitudinis, ad quam semper confugiam.* Non est contentus, ut eripia-
 tur ac liberetur è manibus impiorum in præsentiarum, ex periculis illis in quibus tum erat con-
 stitutus: sed intelligit sibi necessarium esse paratum aliquod & bene munitum refugium, ad quod
 semper confugiat, & in quo perpetuo seruetur. Et quoniam nouit in terra nullum posse huiusmo-
 di reperiri, Deum orat, ut ipse perpetuum sibi sit ac tutum refugium. Hoc intelligit per *רֹאשׁ רֹאשׁ*
rupem fortitudinis, id est, fortem ac robustam: similitudine satis accommodata admonens, prote-
 ctionem Dei esse instar munitionis in petra sublimi ac forti collocatæ, ad quam non sit hostibus

Prouerb. 18. accessus. Sic Salomon: Turris fortissima nomen Domini, &c.

Deinde & hoc notandum est, quod eodem uersu dicit, Manda ad saluandum me: quibus uer-
 bis uerbo & imperio Dei saluandi uirtutem adscribit, cui certè nec ulla seculi potentia, ne infero-
 rum quidem, nec mors ipsa resistere poterit. Tantum, inquit, manda ut saluer, & iam omnino sal-
 uabor. ea namque est omnipotentia uerbi & imperij Dei, ut ubi dixit ac mandauit, facta & creata

Psal. 32. sint omnia. Sic alibi: Dixit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt. Item: Dixit, & stetit spiritus pro-
Marci 4. cellæ. Quis non tutò se credat isti Domino, etiamsi nomine illius periclitandum sit, qui potest
 mandare omnia, potest imperare morti & inferis, ut restituant quos absorpserat, qui salutem ser-
 uorum suorum unico nutu imperare potest.

ARGVMENTA FIDVCIÆ.

Verf. 1. In iusticia tua.) Nihil hic periculi est, siue de iudiciaria Dei iusticia particulâ hanc intelligamus,
 1 siue de bonitate illius, quæ sæpenumero per dictionem *יְהוָה* intelligenda uenit. Iniquè premeba-
 tur ab aduersarijs impijs & uolentis, ideo non abs re ex consideratione iusticiæ Dei, odio omni
 iniquitatem habentis, liberationem à Deo petit. Argumentum hoc generale est ex Deo sumptum,
 non quibusuis opem Dei implorantibus accommodum, sed ijs tantum, qui illum tanquam ius-
 tum iudicem inuocare possunt. Argumentum uero bonitatis diuinæ generalius est uniuersis no-
 men Dei inuocantibus. Quod dicit, In iusticia tua libera me: idè est atq; Propter iusticiam tuam,
 propterea quod iustus es, ratione iusticiæ tuæ libera me. Argumentum hoc satis firmum est iusti-
 ciam Dei agnoscantibus & considerantibus.

Verf. 2. Quoniam petra mea & munitio mea es tu.) Et hoc argumentum ex Deo quidem sumptum, generale
 2 tamen ut præcedens non est, sed speciale erga ipsum orantē. Non enim hic considerat Propheta,
 quid Deus sit alijs, sed quid sibi sit, & hætenus fuerit. Fuiſti, inquit, mihi hætenus petra & muni-
 tio refugij. Ad te confugi semper in te perpetuo seruatus sum, tu me hætenus conseruasti & pro-
 texisti. Itaque uelis etiam in posterum mihi rupis esse fortitudinis, ad quam semper confugiam.
 Et nota, quomodo id esse sibi Deum dicat, quod orat ut esse sibi uelit. Orat ut sit sibi rupis forti-
 tudinis, ad quam semper confugiat. & subdit: Quoniam petra mea & munitio mea es tu. Quod
 perinde est, ac si dicat: Sis mihi Deus, quoniam Deus meus es tu. Protegas me, quoniam prote-
 ctor meus es tu. Libera me, quoniam liberator meus es tu. Hoc est: Quoniam cœpisti esse Deus
 meus, protector meus, & liberator meus: libera igitur me, & protege me, sisq; Deus meus. Potest
 etiam ita intelligi, ut sit sensus: Sis mihi turris fortitudinis, ad quam confugiam semper, quoniam
 te mihi loco petreæ & munitionis elegi, quoniam ad te tanquam ad munitionem meam confugio.
 ut argumentum hoc sit ex fiducia & spe erga Deum desumptum, de qua uers. 5. & 6. uidebimus.

Deus meus.)

A *Deus meus*) Iterum arguit ex Deo. Dei officium est, saluare suos. Deus meus es, inquit, igitur *eripe me de manu impij*, &c. Argumentum hoc omnium fortissimum est. Deus meus, inquit. *Quasi dicat, Quem implorabo, ut me eripiat, nisi te unum, qui Deus meus es? Quis me liberabit & eripiet, nisi tu, qui Deus meus es? Quis alius est, quis uel esse potest Deus meus, nisi tu, qui solus uerus es Deus? Cum igitur præter te nemo sit Deus meus, nemo esse possit, nec debeat, ad quem confugiam, nisi ad te unum? quis me liberare poterit, nisi tu unus? Ergo te Deum meum imploro, ut eripias me.*

De manu impij, inquit, & de manu iniquæ agentis, & uiolenti.) Hæc uerba argumentum habent ex aduersariorum qualitate desumptum. Multum refert, contra quos queramur apud Deum. Qui aduersus innoxios queritur, & eos qui Deo chari sunt accusat, actionemque contra eos coram Deo instituit, certè non solum nihil efficiet, sed iræ Dei sese magis obnoxium reddet. Imò frustra accusatio etiam contra eos fiet, qui licet deliquerint, ex infirmitate tamen magis quam ex malicia deliquerunt. Secus est, si cui negotium fuerit cum maliciosis & impijs hominibus. Hic non sine fiducia opis diuinæ de illorum malicia & improbitate coram Deo iusto iudice queri poterunt, qui iniquè premuntur.

Dauid itaque malicia aduersariorum considerata, quales sint à quibus premitur, commemorat non tantum dicens, Deus meus, eripe me de manu inimicorum meorum, qui me persequuntur: sed, De manu impij, inquit, de manu iniquæ agentis ac uiolenti. Ergo describit aduersarios suos, primùm quòd sint impij, deinde quòd iniquè agant, tertio quòd uiolenti sint.

Impij *אֲשֵׁרִי*, sunt homines absq; ullo metu Dei irrequieti, & maliciosis ac turbulentis affectibus rapti. *אֲשֵׁרִי* est, qui iniquitati studet, qui iniquis consilijs proximum & immeritum circumuenire & per iniuriam opprimere conatur. *אֲשֵׁרִי* est, qui uel iniusta & uiolenta temeritate proximum persequitur, quemadmodum solent potentes, qui tyrannico ingenio præditi sunt. Primum generale est omnibus atheis. Alterum est subdolorum & astutorum. Tertium est tyrannorum. Primum radix est omnis iniusticiæ, seu astutiæ, seu uiolentiæ. Itaq; non solum maliciam aduersariorum, quâ illi contra se exercebant, exprimit: sed & radicem maliciæ ipsorum, impietatem uide licet, & *אֲשֵׁרִי*, quâ nullam habebant numinis rationem, homines prorsus sine Deo, nullo Dei metu præditi: atque ob eam causam, in quamuis maliciam & iniusticiam, seu occultam seu apertam, propensi. Certè contra hoc hominum genus cum bona fiducia potest accusatio institui ad Deum, ab ijs qui iniuria ab illis premuntur. Nulla enim ratio est, cur Deus impietati & maliciæ ipsorum fauere possit.

B *Quoniam tu es expectatio mea Domine.*) Dixit uersu præcedenti, Deus meus eripe me: isto ueluti rationem reddit talem, quæ ei quod dixit, Deus meus, adaptari possit. Omnino, ut suprâ memorauimus, Dei est eripere suos. Eorum uerò qui Deum pro suo agnoscunt, uicissim est, omnem in illam spem collocare, & in quibusuis tribulationibus opem ab eo petere & expectare: deinde continuis & irremissis præconijs nomen illius extollere & magnificare. Hæc tria duobus istis uersibus, 5. & 6. à Propheta omnium aptissimè coniunguntur & inducuntur. Primum adducit quæ erga Deum spe sit, & expectatione. Quoniâ, inquit, tu es expectatio mea Domine, Domine spes mea à iuuentute mea. Q. d. Deus meus es, eripe me. Nam in te omnem spem posui: opem tuam, non alterius cuiusquam expectaui, tanquam eius quem uerum Deum, & meum Deum agnoui, & cui à iuuentute mea. Ita coherent in diuulsæ, habere Deum, & spem in illum ponere. Qui in Deum non sperat, nec opem ab eo in afflictionibus expectat, de illo certè cum ueritate dicere non potest, quòd sit Deus suus. Qui uerò cum Dauide ad Deum dicere potest, Tu es expectatio mea Domine, Domine spes mea: idem reuerà dicere potest, Deus meus es tu, eripe me. Sic *ἐλπίς* ab Apostolo eidololatria uocatur, propter spem uidelicet in pecuniarum thesauros collocatam. Et nos Germani dicimus, *Der hat sein Gut in der Fisten.*

Non caret autem emphasi, quòd bis dicit, Domine: ut uidelicet fidem & confessionem dominationis ac maiestatis diuinæ exprimat. Nā in Hebræo duas dictiones posuit, *אֲשֵׁרִי* & *אֲשֵׁרִי*: quorum primum dominum, alterum maiestatem diuinæ essentię in Deo exprimit. Admonemur hic, ut fiduciæ in Deum collocatæ agnitionem, confessionem & reuerentiam dominationis ac maiestatis illius coniungamus: ut non solum bonitate illius fidamus, sed & dominatū reueremur, & maiestatem suspiciamus, & cum timore ac tremore colamus.

Deinde & hoc notanter positum est, quod non dicit, Quoniam te expecto, & in te spero: sed Quoniam tu es expectatio mea, tu es spes mea. Plus enim dicit, quàm si dixisset: Te expecto, in te spero. Qui à nemine alio opem tribulatus expectat, quàm ab uno suo Deo, & in neminem alium sperat, quàm in unum Deum suum, is rectè cum Dauide ad Deum dicit: Tu es expectatio mea, tu es spes mea. Nam habere Deum, nō solum hoc exigit, ut in illum speretur, & auxilium ab ipso expectetur, sed ut in illum unum ac solum speretur, & illius solius auxilium expectetur. Proinde docemur hoc loco, qualis expectatio & spes in Deum nobis ad hoc necessaria sit, ut possimus eum uerè Deum nostrum uocare. Non qualis eorum est, qui more gentium spes suas in plures deos diuidunt, nec ad quenquam dicere possunt, Tu es expectatio mea, tu es spes mea: atque ideo nec de quoquam Deo dicere possunt, quòd Deus ipsorum sit. Est enim Deus zelotes, nullius iuxta se consortium ferre ualens.

Vers. 3.

Vers. 4.

Vers. 5.

Ita in Christo
quoq; faciendum
nobis est. Homo
factus est et frater
noster. Materiam
habemus ma-

gnæ fiducia. At
idē Dominus
constitutus est et
noster & om-
nium: ut non so-
lum fidamus il-
lius bonitate sed
dominatū etiā
suspiciamus.

Sic Sara affe-

Etui cōiugali er

ga Abraham ma-

ritum & coniu-

gem, reuerentiā

hanc adiunge-

bat, ut dominū

cum uocaret.

Tertiō, nec hoc prætereundum est, quod addit, A' iuuentute mea. Quasi dicat: Non iam solum, sed hætenus semper, per omnem uitam meam expectatio mea, & spes mea es tu. Hoc est, nullum unquam alium Deum habui præter te unum. Nam in neminem alium per omnem uitam meam speravi, quàm in te unum. Siquidem ab adolescentia mea, à iuuentute mea, ab eo tempore, quo facie cultate rationis humanæ uti cœpi, tu es expectatio mea, & spes mea. Cum igitur nullum alium Deum à iuuentute mea præter te unum habuerim, quomodo potero nunc in tribulationibus constitutus te non inuocare, & quomodo poteris tu me deserere? Quis satis poterit prædicare istam felicitatem, si cui datur à puero spem omnem in unum ac uerum Deum ponere, & ab unius Dei sui bonitate certa fiducia pendere? Videmus exemplum huius in isto Propheta. Cum 12. id est adolescens esset, dicebat ad Saulem: Deus qui eripuit me de ore leonis & ursi, ipse me liberabit etiam de manu incircuncisi huius, primo Samuelis decimo septimo. Admonendi sunt hic parentes, ut liberos ab adolescentia in pietate ista, cognitione, fide ac spe Dei instituant. Nam quod noua testa capit, in ueterata sapit.

Vers. 6.

Super te innixus sum ex utero, de uentre matris meæ tu me extraxisti. Alterum hoc est, quod Propheta argumenti uice inducit, eius quod Deum dixit esse Deum suum. Dei est, ut dixi, eripere & conseruare suos, quorum Deus est. Hoc reperit in Deo suo, non quatenus in alijs declaratum sit, declaraturque mortalibus, sed quatenus id ipse in se expertus sit. Ponit autem duo. Primum, quod protectione ac tutela Dei ab ipso matris utero seruatus sit, cum sibi ipse nulla nec sapientia nec uirtute adesse posset. Alterum, quod ex utero matris, ubi omnino deserente Deo pereundum fuisset, ope Dei extractus sit. Quod autem hæc duo argumenti uice usurpentur à Propheta, quod Deus suus sit ille qui omnium rerum est dominus ac potens, satis patet supra Psalmo 22. uersibus 9. & 10. ubi sic legitur: Quoniam tu es qui extraxisti me de utero, tu sustentasti me super uera matris meæ: Super te proiectus sum ex utero. Vbi hæc dixit, subiecit, A' uentre matris meæ Deus meus: uelut indicans, cur ista memorarit: nempe ad hoc, ut certis argumentis colligeret, Deum esse Deum suum, idque à uentre matris declaratum esse. Quæ hic notanda sint, uide Psalmo 22. loco iam citato.

In te laus mea semper. Tertium hoc est argumentum, quod non minus est euident, quàm quod de fiducia ac spe sua erga Deum induxit. Nam omnino, qui uerè Deo fidit, adiutus & conseruatus ab eo, nequit non laudes nominis eius deprædicare. Et hoc postremum ex duobus prioribus nascitur. Sic Psal. 50. Inuoca me, eruam te, & honorificabis me. Notandum etiam hic est, quod, ut de spe sua dixit, Spes mea à iuuentute mea: & de auxilio Dei suscepto, Super te innixus sum ex utero, de uentre matris meæ tu me extraxisti: ita & in isto tertio argumento eadem emphasi non simpliciter dicit, In te laus mea: sed addit, Semper: ut commemoret, quod ut Deum hunc habuit à iuuentute & ab utero matris, inque illum spem omnem à iuuentute posuit, ita illum à iuuentute etiam per omnem uitam suam laudarit ac deprædicarit. Præterea & hoc obseruandum est, quod non dicit, Te laudauī semper: sed, Laus mea in te semper. quasi dicat: Ut in neminem alium spem meam posui à iuuentute mea præterquam in te unum, ita neminem alium laudauī præter te. Omnis mea deprædicatio de te fuit, &c. Hæc itaque totius pietatis summa est, uidelicet, ut agnoscamus Deum illum omnium esse Deum nostrum, consideremusque quibus id argumentis erga nos sit declaratum: deinde, ut ille sit à iuuentute omnis nostra expectatio & spes. Tertiō, ut ille sit laus nostra semper. Hoc est, ut nunquam cessemus laudes eius unius deprædicare & passim propagare. Vbi hæc tria concurrunt, cum summa ueritate ad Deum dici potest: Deus meus es tu, eripe me.

- 7 Tanquam prodigium factus sum multis, & tu fiducia mea robusta.
- 8 Repleatur os meum laude tua, tota die gloria tua.
- 9 Ne proijcias me in tempore senectutis: cum defecerit uirtus mea, ne derelinquas me.
- 10 Quia loquuti sunt inimici mei contra me, & qui obseruant animam meam, unā consularunt.
- 11 Dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite, quia nō est qui eripiat.

LECTIO *Et tu fiducia mea robusta.* Græc. & uulg. Latina, Et tu adiutor meus fortis. Hieronymus, Et tu spes mea fortissima.

Vers. 7.

Vers. 10.

EXPLA-

NATIO.

Quia locuti sunt inimici mei contra me. Græc. & uulg. Latina, Quia dixerunt inimici mei mihi. Sic & Hieronymus, & Iulianus. Pagninus, Quia dixerunt inimici mei aduersum me. Hi 5. uersus, & querelas habent & precessionem. Versu. 7. queritur se quasi prodigium factum esse multis: quod nihil est aliud, quàm quod passim declinabatur, quasi monstrum quoddam esset. Hæbeatur tanquā proiectus à Deo, atque ideo, ut alio Psalmo querit, fabula erat multis, & deridebatur. Etiam qui amici fuerant, ab illius cōsortio abstinebant. Ita & Apostolus se dicit spectaculum factum esse & angelis & hominibus. Sic mundus eos qui uel uitæ emendatione à se defecerunt, uel aliam, quàm qua ipse assuetus est, doctrinam, & alium cultum sequuntur, & quos Deus uarijs tentationi-

temptationibus exercet, mundi; potentibus inuisos reddit, atq; de loco in locum iactat, portenti instar uitare & fugere solet. Notum est illud Sap. secundo: Grauis est, inquiūt, nobis etiā ad uidendum, quoniam dissimilis est alijs uita illius, & immutata sunt uia eius.

Queritur hoc sibi contigisse Propheta. Nec immerito. Vt enim sancti amant homines, & confortio illorum, in pietate delectantur: ita non possunt non dolere, si ubi senserint se fugi, ac monstri instar uitari.

Iuxta tamen & hoc cogitandum est, quod qui iuxta seculum uiuunt, suas cupiditates sectantur, nullo Dei metu ac cultu præditi, planè impij à quibus pij à Deo exercitati, monstri instar uitantur, illi ipsi uicissim pij monstri uice sunt. Sic Paulus mundo quidem crucifixus erat, sed & mundus uicissim illi.

Et in fiducia mea robusta.) Quoniam qui in hoc seculo monstri instar uitantur & deseruntur, quotidie in discrimine propter inimicos & aduersarios quos sustinent, uersari uidentur, rectè subiecit, Deum in isto discrimine rerum fiduciam suam fuisse.

Nec frustra est quod addit, Robusta. Innuunt quidem quàm forti Dauid erga Deum in istis afflictionibus fiducia præditi fuerit. uerum nos admonemur non solum, ubi à mundo portentorum ac monstri loco haberi incipimus, bona fiducia ad diuinum confugiendum esse auxiliium, sed & opus esse forti ac constanti fiducia: hoc est non uulgari & leuiuscula quadam, sed omnino singulari & inuicta.

Repleatur os meum laude tua.) Precatio est, ut seruetur. Quoniam uerò futurum erat, ut seruatus laudem Deo decantaret, & gloriam illius deprecicaret: id quod toto cordis affectu suspirabat, pro eo quod dicendum erat, Serua me, dicit, Repleatur os meum laude tua, &c. Hoc est, conserua me, ut causa sit ob quam laudem tuam pleno ore ebuccinem, & gloriam tuam tota die, hoc est, irremissa exultatione deprecemur.

Iterum nobis notandum est, laudem & gloriam Dei esse, si eos seruet, à quibus colitur, timeatur & inuocatur, qui omnem in illum fiduciam collocant. Idque non ob eam duntaxat causam, quod qui diuinitus conseruantur, & ex periculis eruuntur, nomen Dei celebrat: sed quod id Dei est officium, ut suos seruet: & ista bonitas ac fides, qua utitur erga miseros mortales, in seipsa ita comparata est, ut nunquam satis extolli ac deprecari possit. Neque enim frustra est, quod hic noster Propheta psal. 8. stupefactus clamat: Quid est homo quod memores eius? Simul hoc uersu notandum est, unde sit affectus, & spiritus laudandi Deum: nempe ex sensu beneficiorum Dei. Et quātus æstus sit laudandi Dominum in illis, qui experiuntur diuinum auxilium, & in temptationibus constituti diuinitus liberantur. Ideo non dicit, Fac ut laudem te, & prædicem gloriam tuam: sed, Repleatur os meum laude tua, & tota die gloria tua: admonens eos, pleno ore & cōtinua deprecatione celebrare laudem & gloriam Dei, qui fiduciam suam erga Deum accepto auxilio diuino senserunt, non fuisse inanem.

Verf. 9. 10. & 11. idem precatur, uidelicet ne abijciatur, aut deseratur, sed seruetur: & simul precationis huius causam adiicit: Quia, inquit, inimici mei contra me consultant, ac dicunt: Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat. Quando hoc dicebāt? Cum esset senior factus, & pristinis uiribus nonnihil destitutus, cum iam etiam à proprio filio, non solum à uicinis hostibus impeteretur. Ideo dicit: Ne proijcias me in tempore senectutis: cū defecerit uirtus mea, ne derelinquas me.

Considerabat Propheta improbitatem hostium suorum, qua senectutem suam & imbecillitatem, cuius debebant misericordia tangi, in occasionem struendarum insidiarum & improbi facinoris arripiebant, ex eo quod colligebant desertum ipsum esse à Deo, & fieri iam posse ut comprehendatur, cum nemo sit qui opem ferat & eripiat. Hæc erat Prophetæ cogitatio, quæ non est eo diuexanda, quasi ob eam tantum causam opus habuerit auxilio Dei, quod præ senio iam uiribus esset destitutus, alioqui sibi ipsi sufficienti præsidio adfuturus. Absit. Aliquoties cōfiteatur auxilium Dei à iuuentute sibi adfuisse, quod & ipsæ historiæ satis declarant.

Interea tamen hoc uerum est, senectutem esse multæ infirmitati obnoxiam, cuius sanè gratia meritò obnoxius cogimur diuino niti subsidio. Nam ipsa nos ad hoc adigit imbecillitas, quæ diuino consilio nobis senibus imponitur, ut ueluti iam ad cœlestia migraturi, hoc maiore serio incipiamus à Deo pendere, quo præsentius propriam sentimus infirmitatem.

Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum.) Notanda est ista impiorum uox. Tam uidelicet uerum est, comprehendi non posse nec perdi eum qui à Deo non deseritur, sed ex omnibus periculis eripitur, ut & impij hoc agnoscant. Quod enim dicunt, Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat: euidenter innuunt, si à Deo desertus non sit, comprehendi eum non posse, eo quod sit qui eripiat. Nam consilij sui causam hanc ponunt, quod Deus illum deseruerit, quæ cupiebant extinctum. Cum ergo impij quoque hoc intelligant, quare dubitent pij?

Neque hoc loco obliuisci miseræ & iam senescentis Christi Ecclesiæ, cuius iam meritò poterit esse uox ista Prophetæ ad Deum: Ne proijcias me in tempore senectutis: & cum defecerit uirtus mea, ne derelinquas me. Quid enim iam aliud impij Christiani nominis hostes de Christi dicunt Ecclesiæ, cui ad interniciem usq; insidiatur, quàm quod hic hostes Dauidis dicunt? Deus, inquit, dereliquit

dereliquit eos, persequamur & comprehendamus eos, quia non est qui eos eripiat. Quod Ecclesiastice iam uelut grandæua sit, nemo ignorat. Quod uiribus spiritus & robore pietatis plurimum destituta sit, longè impar ei ætati, qua cum mundo & satana pro Christi nomine ad sanguinem usque firma fide pugnavit, puto neminem intelligentem præsentis status Ecclesiastici inficias ire posse. Dicamus igitur & nos cum Propheta: Ne proijcias Domine Ecclesiam tuam in tempore senectutis: cum iam defecit uirtus nostra, ne derelinquas nos.

12 Deus ne elongeris à me, ad auxiliandum me propere.

13 Confundantur & deficiant aduersantes animæ meæ, operiantur confusione & pudore, qui querunt malum mihi.

LECTIO. Propere.) Græc. *ῥῆτορ*. uulgata Latina, Respice. Hieronymus, Festina.

Vers. 12. Aduersantes animæ meæ.) Græc. & uulgata Latina, Detrahentes animæ meæ.

Vers. 13. Quod supra uersu 1. notauimus, idem hic quoque agitur. Nam ex præcedentibus proximè & sequē-

EXPLA. tibus uersibus satis liquet, eundem hic esse Prophetæ affectum, quem illic notauimus. Deprecatur enim & hic desertionem sui, ne fiducia quam in Deum posuerat, cōfusione exponeretur. Hoc

NATIO. scilicet affectu dicit: Deus ne elongeris à me, ad auxiliandum me propere. Q. d. ut uideant uniuersi, quod me non deserueris, sicut aduersarij mei iactant, qui ob eam me causam persequuntur, quod putant spem in te meam prorsus esse uanam: nec credunt te talem esse Deum, qui rationē habeas eorum qui in te sperant.

Quod dicit, Ne elongeris à me: nihil est aliud, quàm, Ne differas auxilium tuum. idem cum eo quod subiicit, Ad auxiliandum me propere. Tum enim propè esse dicitur Deus, quando adiuuat: è longinquo uerò, quando auxilium differt. Orat pro auxilij diuini maturatione, ne si illud differtur, uerisimile uideatur quod impij aduersarij iactant dicentes, Deus dereliquit eum.

Vers. 31. Confundantur & deficiant.) Aperit affectum suum magis atque magis. Q. d. Quin potius confundantur ipsi, qui me confundi uolunt. Quoniam hoc futurum erat accepto diuinitus auxilio, ideo ubi dixit, Ad auxiliandum me propere, ista commodum subiicit.

Notandum hic est, quàm modestè contra aduersarios suos ista precetur ad Deum. Queritur de illis, quod animæ suæ aduersentur, & malum sibi querant. Talionis lege poterat dicere: Sis aduersarius animabus illorum, & quæras illis malum. Verùm nihil horum dicit, sed tantum hoc petit, ut confundantur ac deficiant, probroque & pudore operiantur. id quod nihil est aliud, quàm ut conatibus suis frustrati, incipiant pudeferi, nec causam habeant gloriandi, quod uictores facti sint. Atqui ista petitio talis est, ut ad hunc modum confusi aduersarij piorum, non perditionis, sed resipiscentiæ, adeoque & salutis occasionem inde reportare queant, nisi deploratè sint impij & obstinati.

OBSER. Hoc exemplo discamus & nos nihil aduersarijs nostris, siue Turcis, siue alijs quibuscunque, imprecari aliud, quàm ut frustrati conatibus suis, salubriter pudefiant. Nam hic duplex est profectus. Gloriæ Dei unus, ipsorum aduersariorum alter.

14 Ego autem semper expectabo & adijciam super omnem laudem tuam.

15 Os meum narrabit iusticiam tuam, tota die salutem tuam: quoniam non cognoui numeros.

16 Ingrediar in potentijs Domini, Deus recordabor iusticiæ tuæ solius.

17 Deus docuisti me à iuuentute mea, & hucusque annuncio mirabilia tua.

18 Etiam ad senectam usque & canitiem Deus ne derelinquas me: donec annunciem brachium tuum generationi huic, & omni posteritati fortitudinem tuam.

19 Et donec iusticiam tuam Deus extollā in sublime quæ fecisti magnalia: Deus quis similis tibi?

20 Qui ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conuersus uiuificasti me & de abyssis terræ iterum reduxisti me.

21 Multiplicasti dignitatem meam, & conuersus consolatus es me.

22 Et ego celebrabo te in instrumento psalterij ueritatem tuam Deus meus, psallam tibi in cithara sanctus Israel.

23 Exultabunt labia mea, cum psallam tibi, & anima mea quam redemisti.

24 Etiam lingua mea tota die meditabitur iusticiam tuam, cum confusi, cum pudefacti fuerint, qui querunt mala mihi.

LECTIO. Quoniam non cognoui numeros.) Ebraicè, ספירה. Græcus, & uulgata Latina: Quoniam non cognoui literaturam. Hieronymus quoque legit literaturas. Symmachus sic: Quoniam adnumerare nequeo. Felix: Certè non cognoui numerum. Iustin. Quia non cognoui numerationes.

Vers. 21. Multiplicasti dignitatem meam.) Ebraicè, גדלתני. Græcus, Multiplicasti in me magnificentiam tuam. Et uulgata Latina legit, Magnificentiam tuam. Hieronymus, Magnitudinē meā. Sic & Felix, & Pagninus,

A & Pagninus, & Iustinianus. Et Symmachus: Augebis magnificentiā meā. Cetera satis conueniūt.

Ego autem semper expectabo. Versus hic duo habet. Vnum, quod uelit expectare iugiter: opē uide-
licet Domini. Moderatio est eius quod dixit, Ad auxiliādum me propera. Licet enim cuperet ac-
celerari auxiliū Dei, indicat tamē se nō desperaturum, etiam si non cōfestim liberetur. Carnis inge-
niū est, petere ut properetur liberatio: spiritus uerō cōsideratio est, expectare tēpus à Deo destina-
tum. Alterum est quod dicit: Et adijciam super omnem laudem tuā. Quod ad spem liberationis at-
tinet, idem hic affectus est cum eo quod dixit, Expectabo iugiter: quod uerō attinet ad desiderii
prædicandæ laudis Dei, indicat se cupere amplificare laudem Dei, & habere materiam, unde su-
pra ea quæ ad id usq; temporis de Deo prædicauit, nouum posset adijcere præconium. Quemad-
modum enim qui in hoc sunt, ut maliciam improbi cuiusdam hominis magis atq; magis quibus-
libet inculcent, & quā notissimam faciant, quotidie uenantur quod præteritis facinoribus pos-
sint adijcere: ita ē contrario pij magno desiderio quotidie uenantur, quod ad cumulum diuinæ
laudis possint adijcere. Toti enim in hoc sunt, ut Deum reddant omnibus quā laudatissimum.

Nec simpliciter dicit, Ut adijciam supra laudem tuam: sed, Supra omnem laudem tuam: signifi-
cans, immensum cumulum esse beneficiorum Dei, quorum gratia hætenus illum laudauit. qua-
de re statim uersu sequenti subiicit.

Os meum narrabit iusticiam tuam. Generale erat quod dixit, Et adijciam supra omnē laudem tuam. Vers. 13.

Specificandi gratia quid in Deo laudaturus sit, subiicit. Meminit autem hinc ad finem usq; psalmi
summam trium. Primò, quod iustus sit, & ex iusticia sua saluet in se sperantes. Secundò, quod
potens sit & mirabilis in liberando suos. Tertiò, quod uerax sit, uel fidelis. Et optimè hæc tria cō-
iungit, quæ prædicaturus sit in Deo. Concurrent enim & indiuisibiles cohererent in liberandis affli-
ctis, in Deum sperantibus. Et talia sunt quæ omnino nobis liberatis & saluatis nihil relinquant
præconij, sed omnem laudem uni Deo tribuant. Quid enim nobis relinquitur, ubi nihil prædica-
tur aliud quā Dei potentia, iustitia (intelligenda est autem dictio צדקה, id est, iusticia hoc loco
de animi probitate ac bonitate, nō de seueritate iudicandi & condemnandi reprobos) & ueritas,
uel, ut aliqui dictionem צדקה, reddunt fides.

Illud, Tota die salutem tuam, de auxilio ipso dicitur, quod salutem Dei saluantis uocat. Hanc
dicit se tota die, id est, irremissè prædicaturum, propterea, ut subdit, quod nullus sit numerus
beneficiorum Dei, quæ erga se declarauit. Videmus hoc loco grati animi affectum, qui ita com-
paratus est, ut nec multitudinem, nec amplitudinem beneficiorum acceptorum satis de præ-
dicare queat.

Ingreddiar in potentij Domini. Verbum ingrediendi hoc loco intelligendum est, pro Prælium ini-
cio, contra hostes uidelicet. Et hoc dicit se facturum non sua, sed Domini potentia fretum: de-
inde memoria iusticiæ Dei animatum. Sic alibi: Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomi-
ne Dei nostri, &c. Vers. 16.

Vers. 17. 18. 19. 20. 21. His quinque uersibus partim prædicat præterita Dei in se collata benefi-
cia: partim orat ne deferatur, ut possit posthac, ut hætenus potentiam & iustitiam Dei extollere.

Versu 17. dicit: Deus, docuisti me à iuuentute mea. quod nihil est aliud, quā, Ostendisti mi-
hi fortitudinem, iustitiam & ueritatem tuam, intelligentem me fecisti per mirabilia tua. Vnde &
subdit, Et hucusque annuncio mirabilia tua. Sic & Chald. habet, ואלהא אל-יהוה בראתני מן עלימות, id est, Deus docuisti me in signis à iuuentute mea. Cognitionem suam Deus uarijs modis mor-
talibus impertit, per reuelationem spiritus sancti, per ministerium uerbi, per tribulationes & ad-
flictiones, quando ex illis sperantes in se eripit. De posteriore modo loquitur hic Propheta. Sic
illud dictum est: Vexatio dat intellectum. Psal. 119.

Quid autem docuit illum Deus? Potentiam scilicet suam, iustitiam & ueritatē, ut in omnibus
aduersitatibus ad unum Deum suum confugeret. Hic modus discendi iustitiā, potentiam & ue-
ritatem Dei, est omniū efficacissimus & uiuacissimus. Vnde uidemus eos qui nullis aduersitati-
bus exerciti sunt, planē rudes esse in cognitione Dei, & in fide infirmisimos. Ut enim miles mul-
tis bellorum periculis exercitatus, rerum militariū scientia & intelligentia instructior est: ita certe Christianus multis aduersitatibus iactatus, fide & cognitione Dei instructior est multo
illis, qui pari modo adflicti non sunt. Est itaq; tolerantia aduersitatum & adflictionū, quasi scho-
la quædam addiscendæ cognitionis Dei, & saluberrimum fidei αὐτοματισμός.

Notandum etiam est, unde sit prædicatio mirabilium Dei: nempe ex hac schola adflictionum. 2

Quem Deus non docet uiua ista bonitatis & potentiæ suæ experiētia, quomodo poterit prædica-
tor esse mirabiliū Dei? Ideo rectè postquam dixit, Deus docuisti me à iuuentute mea: subiicit, Et

usq; nunc annuncio mirabilia tua. Obserua simul, quod beneficia diuini auxilij in rebus aduersis

toties accepti, uocat mirabilia. Quo sermone primum innuit, quā grauibus sit iactatus pericu-
lis: deinde quā potenti Dei manu contra omnium spem sit ex illis ereptus. Ergo Deus mirabi-

lia est in sanctis suis: & ad hoc faciunt aduersitates sanctorum, ut declarētur in illis mirabilia Dei.

Vers. 18. 19. iterum orat ne deferatur ad senium usque, de quo supra diximus. Adiungit cur hoc

petat. Donec, inquit, annunciem brachium tuum generationi huic, & omni posteritati fortitudi-

nem tuā. Donec iustitiā tuā Deus in sublime extollā, quæ fecisti magnalia, &c. Rarus est omnino

hic affectus, & singularis præcipuorū uirorū Dei, quorū animi desiderio laudādi Dei accēsi, nō tā

uitam

Psalm. 113.
Posteritatis ra-
tionem habet.

uitam præsentem amant, quàm gloriæ Dei promotionem: nec tam mortem horrent, quàm diu-
ni nominis obscuracionem. Sic alibi: Non mortui laudabūt te Domine, sed nos qui uiuimus, &c.
Notandum autem est, quod posteritatis rationem habet, ut & illa in cognitione Dei instruat.
Videbat seculi tantam esse inconstantiam, ut statim à uia ueritatis ad uana deficiat. Hinc uisum
ut post mortem eorum qui ueritatis scientia mundum singulariter illustrant, confestim redeant
ignorantiæ tenebræ, & enascatur pristina ueritatis cognitio. Sic Iosue ultimo legimus, Israel
Domino seruisse cunctis diebus Iosue, & post Iosue diebus etiam seniorum, quibus cognita erant
opera Domini, quæ fecerat in Israel. Et Iudic. 2. Omnis, inquit, illa generatio congregata est ad
patres suos, & surrexerunt alij qui non nouerunt Dominum, & opera quæ fecerat cum Israel, fe-
ceruntq; filij Israel malum in conspectu Domini, & seruierunt Baalim, ac deliquerunt Domini
Deum patrum suorum, &c. Item paulò post: Cumq; Dominus iudices suscitaret, in diebus eorū
flecebatur misericordia, & audiebat gemitus afflictorum, & liberabat eos de cæde uastantium.
Postquam autem mortuus esset iudex, auertebantur, & multò faciebant peiora quàm patres eo-
rum, &c. Ita post mortem Dauidis, declinare cepit Israel ad idolorum cultum. Sic post mortem
Ezechie, abominaciones idololatricæ per Manassen reductæ sunt. Non est itaque Dauid præter
rem sollicitus de posteritate, ut illa in cognitione Dei retineatur ac promoueat.

Verf. 20. 21.

Qui ostendisti mihi tribulationes multas, &c. Expressius quidem, idē tamen dicit, quod suprà bre-
uiter innuit, dicens: Docuisti me à iuuentute mea. Pulchrè enim præmissò docendi uerbo uerbo
ostendendi, quo hic utitur, respondet & lucem adfert. Indicat enim Propheta doctrinā hanc De-
cuius uers. 17. meminit, nec literariam fuisse nec uerbalem ad aures destinatam, sed demonstrati-
uam, tanta certitudine propositam, ut perinde atque in rebus ad oculum expositis dubitari ne-
queat. Ita nos Germani quoque de huiusmodi certitudine rerum, quæ ipsa experientia sentien-
tur & capiuntur, dicimus, *Ich wil dichs sehen lassen, Du wirst wol sehen werden.* Nō enim
Dauid hic tribulationes istas multas & malas sibi ad oculum tantum expositas, sed uiuo sensu &
omnium penetratissimo cognitas esse intelligit. Et hoc est quod dicit: Et conuersus uiuificasti me.
Ergo emortuus fuerat. Item: Et de abyssis terræ iterum eduxisti me. Igitur planè periculis istis ab-
sorptus esse uidebatur. Sed uideamus his duobus uersibus notanda.

OBSER. I.

Principiò non dicit, Hostes mei, impij ac reprobj homines, ostenderūt mihi tribulationes: sed,
Qui ostendisti mihi tribulationes, ad Deū ipsum loquens. Ergo Deus ipse suos in tribulationes
inducit. Et huius duplex potest assignari ratio. Prima, quod licet & reliqui uniuersi mortales, præ-
sertim tamen pij ita in manu Dei sunt, ut nullum eos malum contingere possit, quod non sit ex
dispensatione & uoluntate Dei. Sic Christus dicit, Omnes capilli capitis uestri numerati sunt. De-
inde, quod etiam salus piorum hoc exigit. Nam alioqui quis piorum persisteret, si in manu es-
set uel satanæ, uel impiorum, illos affligere? Iam afflictionibus carere nequimus, posteaquam ita
comparati sumus, ut sibi sub cruce simus, peiores rebus prosperè habentibus reddamur. Necesse
est igitur, ut si nos saluos esse cupit, ipse nos Deus pro sua paterna prouidentia castiget. Ob has
causas scriptura Deo tribuit, quod mortificet & uiuificet, ad inferos abducatur & reducat. 1. Sam. 2.

¹ Cum igitur hoc certum sit, nostrum erit more germanorum filiorum ad ipsum percutientem
nos patrem, assumpta resipiscencia, reuerti. Ita populum Dei admonet Propheta Osee cap. 6.
Vide locum.

² Deinde, hoc scientes, bona fiducia erimus, in afflictionibus constituti: non ad hoc affligi nos
à Domino, ut perdamur, sed ut liberati potentiam, bonitatem & ueritatem illius melius atq; me-
lius cognoscamus ac deprædicemus. quo sensu Propheta hoc loco utitur.

OBSER. II.

Notandum etiam est, quod non simpliciter dicit, Qui ostendisti mihi aduersa & pericula: sed,
inquit, id est, tribulationes, uel angustias. Multi sæpenuerò rebus tentantur aduersis, ue-
rū non mox angustiantur. Propheta uerò etiam angustias ostensas esse sibi à Domino dicit.
Nemo igitur putet hoc requiri à Deo, ut in aduersis rebus læti simus, cum ipse suos in angustias
inducat. Et nisi angustiaremur in aduersis, energia diuini propositi sine suo nō potiretur. Et hoc
obseruandum est, quod dicit, Multas & malas: id est, grandes & periculosas. Ergo creber est Deus
& serius in castigatione filiorum suorum. Nemo tamen putet, quod nimius sit. Vide 1. Cor. 10. Fi-
delis est Deus, &c. Modum nouit cuique competentem. Expendendæ hic sunt historiz eorum
quæ Dauidi acciderunt, præsertim sub Saule. Ille satis indicant, quàm uerum sit quod hic dicit.

Psalm. 34.

Qui ostendisti mihi tribulationes multas & malas, &c. Sic alibi: Multæ tribulationes iustorum.
Et Apostolus: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum, &c.

OBSER. III.

Et conuersus uiuificasti me. Bene habet. Conuersio est apud Deum. Non irascitur perpetuò. Est
autem apud Deum duplex conuersio. Vna ad perditionem, altera ad uiuificationē. Priore super-
bos quos in sublime euexit, conuersus deturbat ac perdit: altera eos quos ad abyssum terræ deie-
cerat, conuersus educit & uiuificat. Et non hoc tantum, sed in sublime etiam extollit. Ideo dicit:

Vide 2. Corin. 1.

1. Corinth. 10.

Multiplicasti dignitatem meam. Sic enim Dauidem non solum uiuificauit periculis multis ac ma-
gnis ereptū, sed in regiam etiam dignitatem amplissimā sanè magno cum honore & ingenti rerū
prosperitate euexit. Sic cum esset ampliaturus dignitatē Iob, primum eum admodum deiecit & red-
didit. Tale quid & Iosepho accidit in Aegypto. Hinc Salomon, Ruinā, inquit, sequitur exaltatio.

Verf. 22. 23. 24.

¹ His tribus postremis uersibus psalmum finiturus uotum Deo facit, quod uelit eum ex animo
laudare

A laudare & celebrare, posteaquam ipse liberatus, & hostes sui cōfusi fuerint. Ita discimus hoc exē-
plo, ut precationibus nostris uotum diuinæ laudis adiungamus, ut grati simus. Vocat autem 2
Deum sanctum Israelis, quod quidam intelligunt idem esse, atque si sanctificatorem Israelis uo-
casset. Mihi tamen hoc loco uerisimilius est sanctum Israelis dici Deum, propterea quod is esset
Israelis Deus, ab omnibus alijs totius orbis dijs separatus. Sanctum enim dicitur, quod è rebus
uulgaribus & prophanis separatum est. Sic uicissim Israel populus Dei sanctus dictus est, ob id
quod à Deo ex omnibus erat totius orbis populis selectus, & in peculiare populum assumptus.
Commodum itaq; hoc loco, post implorationem auxilij diuini, Deum quem inuocat, uocat suum
Deum, & sanctum Israelis: innuens merito se inuocare eum, celebrare ac prædicare, quem habeat
spretis omnibus omnium gentium dijs, unum cum Israele Deum.

Meminit instrumentorum musicorum & uocalium, psalterij scilicet, & citharæ, labiorum, 3
& linguæ, quibus uelit celebrare ueritatem & probitatem Dei, qui affectus nihil est aliud, quàm
ardor quidam uehemens omnibus modis laudandi Deum psallendo, in cithara ludendo, cantā-
do ac meditando.

Verum ne putemus istis instrumentis per se deputari laudem Dei, uide quid adiungat: Exul- 4
tabunt, inquit, labia mea, & anima mea quam redimisti. Ergo gaudium cordis, fons est huius affe-
ctus laudandi Dei, quod gaudium animæ ex sensu sit redemptionis, & foras in labra & linguam
erumpat. Hoc pacto laudare Deum siue organis, siue citharis, siue psalmis, non est nisi piorum,
qui sensu diuinæ ueritatis ac bonitatis aguntur.

PSALMVS LXXII

SALOMONI.



Eus iudicia tua regi da, & iusticiam tuam filio regis.

Iudicet populum tuum in iusticia, & adstrictos tuos in iudicio.

Ferant montes pacem populo, & colles iusticiam.

Iudicet adstrictos populi, saluos faciat filios pauperum, & confrin- 4
gat calumniatorem.

Ferant montes) Ebr. יָרְדָּן. Græc. & uulg. Latina, Suscipiant montes. Hieronymus, Assument mō
B tes. Felix, Extollent. Pagninus, Deferent. Camp. Adferant primores, LECTIO.
Et confringat calumniatorem.) Ebr. יִרְדָּן Græcus & uulgata Latina, Et humiliabit. Hieronymus
tamen legit, Et confringet calumniatorem. Vers. 4.

Argumentum psalmi.

Psalmus hic, quod ad typum attinet, de regno Salomonis compositus est, unde & inscriptionem habet Et Kimbi fater-
ur quosdam ex
Iudæis hunc psalmum exponere
de regno
Messiach.

Non illibenter illis assentior, quorum opinio est, hunc psalmum à Dauide pro successu regni filij sui Salo-
monis compositum, & populo decantandum exhibitum esse. Nam mox post illius finem subiunguntur hæc uer-
ba: כִּלְיָהוּ הַחֲלֹמֵי כִּי, id est, finiunt precesiones Dauidis filij Isai. Liqueat enim Dauidem, Salomone filio
in regnum inaugurato, mox uitam suam terminasse, ut non immerito credatur, quæ isto psalmo ponuntur, ulti-
ma illius uota fuisse, in quibus etiam, spiritu prophetico, quo erat præditus, regni Christi felicitatem, potētiam,
iustitiam, amplitudinem ac diuturnitatem attigerit.

Deus iudicia tua regi da.) Regem ac filium regis eundem dicit, in typo Salom. in ueritate Christū. Vers. 1.
Salomon, quoniam & rex erat & regis filius, typum in hac regia dignitate & profapia Christi ueri
& unci Regis, ac summi Regis filij gessit. Et Dauid rex fuit, sed non filius regis. Reliqui Dauidis
filij, regis quidem filij fuerunt, sed non reges. Salomon & regis filius & rex, utranq; Christi & na-
tuitatis regis prærogatiuā, & regni dignitatē typo suo expresse. Etenim in regno Dei Christus
& summi regis filius, & inter omnes filios illius Rex est, Deus ex Deo, primo genitus filiorū Dei,
omnem totius regni Dei potestatem hæreditario iure possidens. Quid regi isti precatur hic uer-
sus: Iudicium & iusticiam. Iudicium מִשְׁפָּט, & iustitia צְדָקָה hoc loco pro eadem uirtute ponun-
tur, quæ uidelicet quod iustum est defenditur, & quod iniustum opprimitur. Quod si quis iusti-
tiam hoc quoque loco non pro iudicandi rigore & æquitate, sed pro animi probitate sumendam
esse putauerit, ut regi isti non solum optetur iudicandi rectitudo & æquitas, sed & probitas illa
animi, quæ quæ populo sunt utilia, etiam ubi merito puniendus esset, studiosè tamen procuran-
tur, illi non admodum repugnauerim. Et sanè uirtus illa probitatis regi bono summo opere neces-
saria est, nedum omnia summo iure exequitur, non solum hostes regni, sed & ipsos ciues perdat.
X A' quo